



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

3. De illusione Christi apud Herodem. Luc. 23. 348.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](#)

*Meditationum*

III:      *De illusione Christi apud Herodem.*  
                *Luc. 23.*

I. *I*esus à Pilato innocens pronuntiatus , cum nihilominus constanter à Principibus sacerdotum & senioribus accusaretur , vt seditiosus , quod commouisset populū , incipiens à Galilēa usque huc , audiens illum Galilaeum esse , subditum que Herodis regis , ad illum accusatores remittit . Atque ideo innocentissimus Dominus , Angelorum gaudium , rursus magnā cum ignōm niā tanquam maleficus & hominē opprobrium per plateas iaptatur vinctus , non tam fūribus & catenis , quam funiculis inefabilis charitatis Quā eximios interīm resignationis , amoris , conmiserationis affectus elicuerit ? quam feruētia desideria grauiora patiendi iteratit ? quam luculentum extērā modestiæ , humilitatis , inuitatāque patientiæ specimen præbuerit ?

II. *A*b Herode interrogatus multis curiosis sermonib⁹ , cū nihil responderet , velut stultus ab eo , eiusque exercitu spernitur & exsibilatur . Enī ut increas-

*Coll. 2.*

increata sapientia, fons omnis sapientiae creatæ, splendor gloriæ & figura substantiæ Patris, in quo absconditi sunt omnes thesauri sapientiae & scientiæ, à stultissimis & vilissimis filijs hominum permittit se, non solum velut Samaritanum, Magum, voracem, vinorum, seditionem, superbum, ambitionem, blasphemum vocari, & traduci, sed nunc insuper, ceu stultum illudi, & subsannari: idque ex gratuito erga nos tam ingratos amore, ut nostram superbiam sic expiareret, ut nos exemplo suo veram despicienciam sui doceret, gratiamque ad id necessariam obtineret. Compassio, contemptus sui.

III. Remittitur veste alba induitus ab Herode ad Pilatum. Envt rex gloriæ, quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt potestates, à vilissimis mancipijs, à sceleratissimis Sathanæ ministris, velut fatuus expeditur, pugnis, calcibus, verberibus è palatio extruditur, (vti olim Dauid ab Achis rege Geth, auticisque spretus, & pro stulto habitus fuit) per celebriores virbis plateas raptatur, omnibus passim subsannandus, cachinnis, conuictijsque lacependus, luto, saxis,

1. Reg. 28.

sordibusque petendus, & conspurcandus proponitur. Quæ opprobria & scommata vniuersa, quanta animi vultusque serenitate, quæta modestia, & patientia excipit? quot suspirijs incensissimis plura amore nostri, vt ab æterno nos eripiat opprobrio, sustinere appetit, illusoribus suis condollet, ijs æternam gloriam in vicem exoptat? Et tu ne cum capis illud Apostoli: *Si quis inter vos videtur sapiens esse, in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Et illud: *Exeamus ad eum extra castra improprium eius portantes.* Contemptus sui, tolerantia confusionis,

*1. Cor. 3.  
Heb. 12.*

#### I V. *De Christo Barrabæ postposito.*

*Matth. 27. Luc. 23.*

I. **S**ic delusus, sic irrisus instar fatui supremus rex hominum & Angelorum, infinito honore dignissimus, remissus ab Herode ad Pilatum, ne vnum quidem ex omni gente suâ, tot à se beneficijs & priuilegijs ornatâ, reperit innocentiaæ suæ propugnatorem, vt Pilatus gentilis, quantuus impius, misericordiâ motus, eius patrocinium suscipere cogatur: qui eum liberare conatur, innocentiam eius fuisse